

V. Hoc juramentum obligat, sicut ipsum statutum, sub gravi aut levi, vel tantum ad pœnam, vel tantum sub consilio (1). Non enim ita obligat, ut transgressor cujusvis statuti peccet mortaliter; sed intelligendum est obligare pro gravitate aut levitate rei, quæ continetur in statuto: ita ut, si transgrediatur statutum de re levi, venialiter tantum peccet; si de re gravi, mortaliter (2).

VI. Obligat tantum ad licita, possibilia, et ecclesiasticæ libertati aut decretis Concilii Tridentini non obviantia, non autem ad illicita impossibilia, et ecclesiasticæ libertati aut decretis Concilii Tridentini obviantia (3).

Obligat tantum ad statuta præsentia seu edita, non autem ad futura et edenda, nisi vel jurans hoc intenderit, vel in forma juramenti expressum fuerit.

Obligat tantum ad ea quæ sunt recepta et servantur, non autem ad ea, quæ non sunt recepta, vel abrogata, vel quæ in desuetudinem abierunt, aut a majori parte non observantur. Ratio est, quia juramentum partim ob periculum perjurii, partim ob detrimentum quod sequi potest, est strictissimi juris et interpretationis, ideoque non debet accipi latius, quam statuta hic et nunc sunt (4).

CAPUT XXXII.

DE CONVENTIBUS CAPITULARIBUS.

§ 1. Capituli utilitas et distinctio.

I. Conventus seu congregatio canonicorum, abbreviationis gratia communiter dicitur capitulum.

Non sperni debent hujusmodi congregationes capitulorum. ne quidem quasi multorum capitum, adeoque sententiarum sint. Idipsum enim laudabile, si cum ratione, non amore contentionis scindantur studia in contraria. Disputando enim eruitur veritas; quæ in statu hoc humano sæpe obscura est. Quidni enim de his ita sentiamus, si sacræ litteræ tradant, Angelos præsides Israeli-

(1) Ita S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 3, n. 181.

(2) Ita Sylvius vol. 2, q. 89, art. VII, quar. IV, concl. II.

(3) Decretales supra et Constitutio Gregorii XIII.

(4) Sylvius vol. 2, q. 89, art. 7, q. 4; S. Alph. de Lig. loco cit. Andreucci p. 3, c. 1, § III, n. 144; Scarfantonus lib. IV, tit. X, n. 14 et seqq.

tarum et Persarum diu multumque contendisse, an in captivitate manerent Israelitæ, an suæ libertati et patriæ restituerentur; etsi utrique gloriam Dei et humani generis salutem spectarent; ipsique videant semper faciem Dei beatificam et scientificam, non ut nos in speculo et ænigmate. Nihil est periculosius, quam aliorum consilia ita contemnere, ut illa audire vel expendere nolis, sed soli tibi fidere velis. Rarum etiam est, ut omnes qui in collegio sunt, ejusdem sint opinionis: ne ergo res communes infectæ maneant, inter se consultandum est, et quod majori parti placuit, faciendum et exequendum est (1).

II. Capitulum distinguitur in ordinarium et extraordinarium. Ordinarium est quod singulis mensibus vel hebdomadis juxta statuta vel ecclesiarum consuetudinem congregatur; extraordinarium autem est, quod fit secundum negotia, quæ tractanda occurrunt per canonicos, qui ad id de mandato ejus ad quem spectat, convocantur.

§ 2. Requisite ad actum capitularem.

Ut actus seu resolutio capitularis valeat, atque capitulum negotia jure suo expleat, hæc quatuor aut quinque concurrere debent (2):

1° Ut capitulum legitime sit convocatum. Quocirca habenda est ratio personarum seu convocantium, modi, loci et temporis (3).

2° Ut vocentur omnes qui de jure vocandi sunt.

3° Ut negotia capitulariter expediantur, id est, ut non tantum capitulum legitime convocatum sit, omnesque vocati, sed etiam ut deliberatio fuerit facta, singulorum vota audita, et omnia in congregatione absoluta. Neque enim singuli extra congregationem capitulum constituunt, et ita nec singulorum consensus extra capitulum datus sufficit in negotiis a capitulo expediendis.

4° Ut major pars consentiat, præterquam in negotiis in quibus singulorum consensus requiritur, ut § 22 dicitur (4).

5° Præterea ut duæ saltem tertiæ partes capitularium sint

(1) Zypæus jur. Pont. lib. III, de his quæ fiunt a maj. p. cap.

(2) Pallottini, *Capitulum*, § 1, n. 64 et seq.

(3) Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 37.

(4) Lucius Ferraris loco cit. n. 36; Reiffenstuel lib. III, tit. XI, § II; Barbosa de canonicis cap. XXXV, n. 3; Scarfantonus lib. IV, tit. V, n. 1.

præsentes, v. g. octo ex duodecim (1) : ac proinde si ex duodecim vocalibus quinque fuissent contempti, electio vel resolutio ab aliis septem peracta, non solum esset ad illorum contemptorum prosecutionem irritanda, sed etiam ipso jure invalida (2). Quod autem duæ tertiæ partes præsentes esse debeant, istud quidem verum est spectato jure civili, et secundum civilistas, ut ait Reiffenstuel (3); canonistæ vero communiter distinguunt, videlicet aut est aliquis, ad quem spectat congregatio seu convocatio capituli; et tunc si ad illius mandatum non veniant omnes cæteroquin legitime vocati, possunt venientes explicare actum, etiamsi non faciant duas tertias, imo etiamsi non interveniat major pars capituli; quia tunc convocatio superioris constituit cæteros non venientes in contumacia, et hæc illos privat jure suffragii ferendi. Aut non est aliquis ad quem spectat capituli convocatio, et tunc etiam secundum canonistas duæ saltem tertiæ partes intervenire debent, ut dicitur § 20 ad III (4).

§ 3. Quando capitulum convocandum est.

I. Ad capitulum ordinarium quod juxta statuta capitularia vel consuetudinem certa die et hora in singulis mensibus aut septimanis habetur ad negotia ordinaria ordinanda, alia convocazione communiter opus non est, ut § 5 dicitur, sed ipsa dies idipsum convocare censetur. Si quis illi adesse omiserit, id soli propriæ suæ negligentiae adscribere debet. Ad capitulum autem extraordinarium specialis requiritur convocatio.

II. Ille cujus est capitulum convocare, illud convocare nequit pro qualibet re ad suam voluntatem, aut horis quibus sibi placuerit, sed tantum pro rebus alicujus ponderis, ac temporibus diebusque consuetis (5); videlicet quandocumque ecclesiæ servitio sibi expedire videtur; neque hoc omittere debet, quando per canonicos instatur ad illud convocandum, ut censuit S. Congre-

(1) Reiffenstuel lib. I, Decretal. tit. 2, n. 88 et lib. III, tit. VI, n. 14; Andreucci de tuenda pace n. 141; Engel lib. III, tit. XI, n. 3.

(2) Ita Reiffenstuel lib. I, Decretal. tit. VI, n. 120.

(3) Lib. III, tit. XI, n. 15.

(4) Fagnanus in 2, p. V, lib. Decretal. c. *Cum ex injuncto*, n. 48-50; Reiffenstuel loco cit. n. 15 et 16; Scarfantonus lib. IV, tit. 2, n. 10-19, et animad. 39 et 40.

(5) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, n. 54; Barbosa de canonicis, cap. XXXV, n. 1.

gatio Ep. et Reg. (1); etiamsi talis instantia fiat per unicum canonicum, aliquod negotium non leve proponere cupientem (2). Talia negotia, quæ specialem capituli convocationem requirere possunt, sunt electio vicarii capitularis, consensus aut consilium Episcopo dandum, receptio canonicorum, collatio officiorum, redditio computus, et similia in quibus de re aliqua notabili agitur (3).

§ 4. Quis convocat capitulum.

I. Concilium Tridentinum sess. XXV, cap. VI, de reform. statuit: Qui si aliquid canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur; episcopi ipsi capitulum convocent, vota exquirant et juxta ea concludant. Absente vero episcopo, omnino hoc ab iis de capitulo, ad quos hoc de jure, vel consuetudine spectat, perficiatur; nec ad id vicarius episcopi admittatur. Ceteris autem in rebus capituli jurisdictio et potestas, si qua eis competit, et honorum administratio salva et intacta omnino relinquatur.

Episcopi igitur capitulum convocant in negotiis, quæ peragi debent cum consensu vel consilio capituli, vel quæ alias conjunctim ad Episcopum et capitulum pertinent, aut dignitatem Episcopalem concernunt, absque alia requisitione illius, ad quem spectare prætenditur convocatio (4).

Ubi vero, de re ad suum vel suorum commodum spectante agitur, Episcopi capitulum congregare, et rem proponere possunt; deinde autem canonicos in capitulo solos relinquere debent, ut ipsi libere rem discutiant et determinent (5).

Pro negotiis autem et actibus capitularibus, qui spectant ad capitulum, uti capitulum, Episcopi illud convocare non possunt, quia pro rebus spectantibus ad ipsum capitulum remanet illæsa et intacta sua jurisdictio, ut post prædicta verba, quibus aperte demonstratur ad quæ se extendat hæc potestas Episcoporum, sic expresse addit Tridentinum Concilium: *Ceteris autem in rebus*

(1) 6 Oct. 1617 apud Gavantum, Manuale Ep. *Capitulum* n. 6; Barbosa loco cit.

(2) Scarfantonus loco cit. n. 47.

(3) Louvrex dissert. XVIII, n. 7.

(4) S. C. C. 13 Nov. 1649 in *Pharen*. Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animad. 30.

(5) Barbosa de canonicis, c. XXV, n. 9.

capituli jurisdictio et potestas, si qua eis competit, et bonorum administratio salva et intacta omnino relinquatur (1).

Item Episcopus, qui est canonicus, sive in ecclesia suæ propriæ diœcesis, sive in ecclesia alienæ diœcesis, sive in ecclesia exempta, non potest uti canonicus convocare capitulum, vota recipere, et similia, sed hæc spectant ad caput capituli, quia Episcopus, ut canonicus, est tantum pars capituli (2).

II. Si, Episcopo absente, aliquid canonicis ad deliberandum proponendum sit, aut, Episcopo sive absente sive præsentem, capitulum pro negotiis, actibus et deliberationibus capitularibus aut bonorum administratione congregandum sit; illud omnino convocandum est ab iis de capitulo, ad quos hoc de jure vel consuetudine spectat, ut liquet ex Concilio Tridentino supra allato.

Convocatio igitur capituli, ubi non fit ab Episcopo, omnino facienda est ab aliquo de capitulo. Extraneus illud convocare non valet; et ubi convocatio fit per alterum, quam per eum, ad quem spectat convocare, tunc resolutiones non sustinentur juxta communem opinionem canonistarum (3).

III. Ad hanc convocationem non requiritur Episcopi facultas aut licentia. Hæc enim facultas convocandi capitulum, competens illi cui de jure debetur, debet esse libera, absoluta et independens ab alterius cujuscumque superioris licentia; ita ut neque ipse Episcopus prætere de jure valeat, non posse capitulum congregari sine ejus licentia, ut resolvit S. C. Congregatio (4); ea nimirum ratione, quod capitulum tanquam collegium legitime erectum cum suo capite, habeat ex jure facultatem se congregandi, quoties sibi placuerit, absque licentia superioris (5). Et consequenter Episcopus sine justa causa neque impedire neque prohibere potest, quominus capitulum pro libito se congregare valeat (6).

(1) S. C. C. 7 Ap. 1781, *Camerinen.* dub. 7, apud Zamboni *Capitulum ecclesiast.* § 1, n. 16; Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 14; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, n. 28 et 29.

(2) Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 26.

(3) In cap. 1, de major. et obed. Abb. in cap. *Cum nobis* num. 9, de elect. Card. de Luc. de Canon. disc. 27, n. 8; Scarfantonus, decis. S. R. R. in 1 p. n. XXVIII, n. 1.

(4) 9 Maji 1639, in *Cursulen.* Item S. C. Ep. et Reg. 17 Januarii 1584 in *Brun- dusina*, apud Pignatell. Consult. 154, n. 7, tom. 4.

(5) Lucidi de Visit. SS. Lim. tom. 2, postulat. VII, n. 58; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 14 et 15; Barbosa de canonicis, c. XXXV, n. 4; Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 7; Craisson, *Manuale jur. Can.* n. 2435.

(6) Lucidi et Craisson loc. cit. Ceccoperius lib. 4, tit. 1, n. 52; Lucius Ferraris loco cit. n. 8.

Hæc tamen juris dispositio limitanda venit, 1^o si contraria adsit consuetudo: eatenus enim non requiritur licentia Episcopi ad capituli convocationem, quatenus solitum est sine illa congregari, sicut resolvit S. Congregatio Episc. (1). Unde a contrario sensu ubi consuetudo favore Episcopi viget, modo vere existat, ejus licentia pro convocatione necessaria est; quia in hac materia observantia et consuetudo præcipue spectanda sunt, quamvis etiam juris dispositioni adversentur (2). Hæc tamen consuetudo vigens quoad Episcopum, non extenditur ad vicarium capitularem (3). 2^o Limitanda est, si aliqua gravis et rationabilis habeatur causa, propter quam Episcopus convocationem capituli aliquando suspendere aut prohibere potest (4).

Quamvis autem juxta solitum Episcopi licentia necessaria sit ad capitulum convocandum, Episcopus tamen canonicos cogere non potest, ad ei revelandum, quæ ibi proponere et resolvere velint (5): licet eos pœnis et censuris compellere valeat, ad exhibendam copiam actorum et resolutionum capitularium (6).

IV. Convocatio capituli, quæ non fit ab Episcopo, pertinet ad præsidem capituli (7), sive ad majorem et digniorem de capitulo (8), sive ad primam dignitatem (9); sicut S. Rituum Congregatio etiam declaravit, mortuo Episcopo, ante electionem vicarii capitularis, spectare ad primam dignitatem, quæ sit canonicus, convocare capitulum (10). Ratio est, quia convocatio capituli est actus jurisdictionis seu præminentia, quæ nullatenus competere potest inferiori.

(1) In *Brun- dusina* 17 Januarii 1484, et in *Neritonen.* 20 Aug. 1601.

(2) Lucidi vol. 2, postulat. VII, n. 59; Pignatelli tom. 4, consult. 154; Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 7; Craisson, n. 2436.

(3) Pallottini, *Capitulum*, § 1, n. 16 et seqq.

(4) Pallottini, *Capitulum*, § 1, n. 26-28; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 19; Lucius Ferraris loco cit. n. 9; Craisson loco cit.

(5) S. Cong. Ep. et Reg. in *Andrien.* 25 Feb. 1703; Barbosa de canonicis, c. XXXV, n. 6; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, n. 52, et animadv. 18; Lucius Ferraris loco cit. n. 11.

(6) Eadem S. Cong. Ep. et Reg. 6 Martii et 22 Ap. 1596, Barbosa loco cit.; Lucius Ferraris loco cit. n. 12; Scarfantonus loco cit. animadv. 42, et decision. S. R. R. XXV in 1 p. Lucub. canonic.

(7) Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 7; Acta S. Sedis, vol. 14, fol. 135.

(8) Zamboni tom. IV, *Capitulum*, § 2, et *præpositus*, § 2; Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 1 et 2; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 9.

(9) S. R. C. 26 Nov. 1678, *Matheranen.* 1; Bouix de cap. p. 1, sect. IV, c. III ad II.

(10) 26 Aug. 1713, *Majoricen.* 6.

ribus seu membris in concursu superioris sive capitis (1). Licet etiam canonicus, qui sit dignior seu prima dignitas, in sacris ordinibus constitutus non sit, nec vocem habeat in capitulo, ad eum tamen adhuc spectat capituli convocatio (2).

Prima dignitate sive digniori, ad quem de jure vel consuetudine convocatio pertinet, impedito vel absente, capituli convocatio spectat gradatim ad alias dignitates aut canonicos antiquiores (3).

Ex legitima etiam consuetudine capituli convocatio ad alias capituli dignitates aut canonicos pertinere potest, sicut Concilium Tridentinum statuit, convocationem ab iis de capitulo, ad quos hoc de jure vel consuetudine spectat, perficiendam esse (4).

Item renuente prima dignitate seu illo ad quem de jure vel consuetudine spectat, capitulum convocare, non est refrænatum capituli arbitrium illud convocandi. Ad instantiam unius tantum canonici ille ad quem spectat, capitulum convocare tenetur, ut dictum est § 3, n. II; major autem tantum pars illum cogere potest ad convocationem faciendam. Facta eidem debita requisitione ex parte capituli, si adhuc renuat illud convocare sine justa causa, convocatio fieri potest a sequente in gradu, cum attenta contumacia illius qui debet congregare, devolvatur jus ad sequentem (5).

V. Vicarius generalis capitulum non convocat, cum, ut statuit Concilium Tridentinum, *nec ad id vicarius Episcopi admittatur*. Verum juxta nonnullos (6) hoc intelligendum est de capitulo exempto, de quo agit Concilium, ut liquet ex titulo illius capitis, et quod Vicarius generalis in nullo casu convocare potest; secus autem dicendum est de capitulo non exempto, quod Episcopus ex jure communi convocare potest, et cujus convocandi facultatem communicat vicario, qui proinde jurisdictionem habet in capitulum, et sic illud convocare potest justa existente causa in iis negotiis, in quibus juxta suas facultates judex esse potest. Attamen juxta alios (7)

(1) Zamboni locis cit.

(2) Pallottini, *Canonici*, § VI, n. 82; Lucius Ferraris loco cit. n. 3; Scarfantonus loco cit.

(3) S. R. C. 26 Aug. 1713, *Majoricen.* ad 6; Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 7; Louvrex dissert. XVIII, n. 1; *Analecta jur. Pont. sér. 6*, 1863, fol. 2040 in fine.

(4) Pallottini, *Capitulum*, § 1, n. 42 et seq. Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 4.

(5) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 20-23; Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 5.

(6) Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 15 et 16; Fagnanus in 2 p. V. Decretal. c. *Cum ex injuncto*, n. 27.

(7) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 37-39; Bouix de capitulis p. 3, c. 1, § III, n. 9; Craisson, *Manuale jur. Can.* n. 2299.

vicarius generalis non habet facultatem convocandi capitulum, obstante Concilio Tridentino, dummodo contraria non adsit consuetudo, vel nisi agatur de rebus, in quibus de jure requiritur consensus vel consilium capituli; nam tunc vicarius capitulum non exemptum convocare potest.

§ 5. Quomodo capitulum convocandum est.

I. De modo convocandi capitulum nihil in jure statuitur (1). Oportet tamen convocationem ita fieri, ut ad cujuslibet notitiam perveniat, et nemo excusari possit.

II. Ad capitulum ordinarium nulla communiter facienda est convocatio, quia tempus statutum et omnibus notum, habetur pro convocatione, ut § 8 dicitur.

III. Ad capitulum extraordinarium præsentem in loco, convocandi sunt per signa solita sive campanæ, sive schedulæ, sive vivæ vocis (2), per diem ante capituli celebrationem, simulque indicando diem, horam et locum (3).

Absentes autem vocandi sunt per litteras vel nuntium secundum locorum consuetudinem; singulariter et personaliter, si sciatur, ubi degant, et commode ac sine periculo fieri possit. Quod si nesciatur ubi commorentur, citatio facienda erit per publicum edictum in ecclesia, vel ubi soliti sunt commorari, vel legi debent litteræ citatoriæ capituli, præsentem capitulo et clero; vel citatio facienda est in eorum domo, et si domicilium non habeant, in loco ubi habitare consueverunt, vel in eorum ecclesia seu beneficio, quia ibi residentiam facere præsumuntur (4).

Capitulares qui diem et horam cognoscunt, quia v. g. capitulo in quo dies determinatus et statutus est, interfuerunt, sive jam præsentem aut absentes fuerint, iterum convocandi non sunt, quia sciunt statutum diem ex eorum interventu et determinatione in præcedente capitulo facta, tum quia certus amplius certiorari non debet; sufficit enim notitia certa; et si tales non venerint, censentur nolle interesse, idque sibi imputare debent: quamvis tamen

(1) Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 40.

(2) Barbosa de canonicis, cap. XXXIX, n. 2.

(3) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 24.

(4) Ita Barbosa de canonicis, cap. XXXIX, n. 2-6.

plurimis in locis consuetudo sit, ut illi qui determinationi diei adfuerunt, denuo vocentur (1).

IV. Convocantes capitulum, uti valent quacumque persona pro capitulo indicendo capitularibus, nec non quocumque notario in casu, quo cursores et cancellarius suum officium præstare recusant (2).

V. Convocando capitulum, bonum est annuntiare negotium pertractandum, nisi sit de secretis. At melius videtur, negotium in una congregatione proponere, et resolutionem in alteram differre (3). Si res differri nequeat, triduo saltem ante, et res et causa significetur: si adhuc citius sit agendum, præmoneantur omnes (4). Licet autem expediat indicare, quid in capitulo sit agendum, non tenetur tamen convocator illud notum facere, quia capitularibus liberum est, audita materia ad deliberandum proposita, dilationem petere, ad consultius respondendum. In hac etiam materia attendenda sunt statuta et consuetudo ecclesiarum (5).

§ 6. Quo loco capitulum convocandum.

I. Locus capituli debet esse certus et determinatus, honestus, commodus, non clandestinus, liber et non impeditus, ad quem tutus patet accessus, quo capitulares libere convenire possunt, ac ubi secure permanere valent; in ecclesia seu ecclesiæ contiguus, videlicet in sacristia vel intra ambitum ecclesiæ, non autem in choro, nisi forte esset consuetudo, et sine strepitu et scandalo fieri posset (6).

II. Juxta nonnullos doctores capitulum de jure etiam celebrari debet in ecclesia, in loco ad hoc determinato, et sine justa causa ad alium locum transferri nequit (7); juxta alios autem locus, in quo

(1) Reiffenstuel lib. 1. tit. VI, n. 117; Louvrex dissert. IV, n. 46.

(2) S. C. C. *Melevitana*, 18 Sept. 1723, dub. 4, apud Zamboni, *Capitulum eccl.* § 1, n. 9.

(3) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, n. 29 et 30.

(4) Gavantus, *Manuale Ep. Capitulum*, n. 25 et 26.

(5) Scarfantonus loco cit. animadv. 20-27; Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 6, 57 et 58; Bouix p. 1, sect. IV, c. IV, n. V.

(6) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, n. 63, et animadv. 1, 6 et 7, tit. II, n. 3; Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 28 et 41.

(7) Fagnanus in 2 p. lib. V, Decretal. c. *Cum ex injuncto*, n. 17; Leurenus, *For. eccl.* tit. XI, lib. III, decret. n. 128, apud Bouix de capitulis p. 1, sect. IV, c. 2.

capitulum se congregare debet, in jure non est præfinitus, neque locus certus est de substantia capituli; ideoque nulla existente causa, locus per majorem partem capituli mutari potest (1): ratio est, quia, ubi capitulares legitime congregati sunt, dicitur adesse capitulum, et valide expletur actus capitularis (2). Unde justa causa sufficit, ad capitulum in alium locum convocandum, ibique celebrandum; juxta priorem tamen sententiam convocatio et celebratio regulariter fieri debent in loco solito: juxta posteriorem autem sententiam, si capitulum alibi convocatum sit, actus hoc nomine impugnari non potest, eo quod capitulum non sit convocatum in loco consueto (3). Dummodo id non fiat in fraudem, notificetur aliis de collegio, locus alioquin sit honestus, et non clandestinus, tutusque ad illum accessus (4).

III. Si Episcopus pro servitio ecclesiæ velit alloqui nonnullos canonicos particulares, hi vocati tenentur accedere ad palatium Episcopi (5).

Si vero Episcopus capitulo aliquid proponere velit, tenetur adire consuetum capituli locum. Præsupposita enim dubitatione in causa Palentina, an Episcopus volens aliquid in capitulo proponere, teneatur accedere ad ecclesiam, et locum solitum deputatum; an vero illud in ædibus propriis convocare possit: Sacra Congregatio prius respondit, quod, quando Episcopus vult aliquid proponere canonicis ad deliberandum, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agitur, solus Episcopus privative, ad quoscumque, potest convocare capitulum, idque in domibus suis: postea vero auditis utrimque rationibus, partiumque advocatis et procuratoribus, ab omnibus in hanc sententiam itum est, ut Episcopus non possit domi suæ capitulum convocare, sed ad aulam capitularem, in qua antea semper solitum fuit capitulum, convenire (6). Licet autem stricte loquendo, capitulum ad aulam Episcopalem accedere non teneatur, nihil tamen obstat neque prohibet,

(1) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 2; Cardinalis Petra, *Comm.* in 1, *Const. S. Leonis Magni* sect. 2, n. 21.

(2) Scarfantonus loco cit. Andreucci n. 210.

(3) Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 42.

(4) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 1.

(5) Scarfantonus lib. 1, tit. 1, n. 35.

(6) Ita Fagnanus in 2 p. V. Decretal. c. *Cum ex injuncto*, n. 18; Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 29; Barbosa de canonicis, cap. XXXV, n. 10 et 11; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, n. 36 et animadv. 35; Andreucci n. 210.